



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quosque & se extendat legislativa potestas humana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

in plures species subdividi possunt, ut alia dicatur Canon, Constitutio scil. edita in Concilio; alia dicatur Decretum, Constitutio scil. edita à Pontifice de consilio Cardin. ad nullius consultationem, alia dicatur Epistola decretalis, Constitutio scil. à Papa, ad consultationem alterius, vel cum, vel sine consilio Cardin. scripto transmissa & publicata; alia denique alijs nominibus appellentur, juxta *Gloss. dist. 3. in summa v. omnes*: hodie tamen sæpe pro synonymis, sæpe in alium sensum ea accipiuntur.

§. II.

De potestate condendi leges, sive constitutiones.

Resp. 1. Constitutiones Ecclesiasticas posse condere in primis Summum Pontificem & alios Prælatos obtinentes jurisdictionem Episcopalem (juxta limites tamen suæ jurisdictionis) *c. fin. de off. legat. c. 1. & 11. §. 2. de majorit. & obed.*

Resp. 2. Posse etiam Constitutiones Ecclesiasticas facere Concilia, generale quidem, potest facere Constitutiones, quæ totam Ecclesiam obligent, si tamen illæ à Pontifice, ut tales approbentur: Provinciale verò vel Diocesanum, infra limites suæ jurisdictionis *Can. Catholica dist. 11.*

Resp. 3. Posse etiam Constitutiones Ecclesiasticas facere Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vacante sede, pro tota Diocesi; & alia collegia inferiora Ecclesiarum, saltem in rebus minoribus, pertinentibus ad suæ Communitatis administrationem, si tamen in vim statuti hæc talia obligent.

Resp. 4. Communitates etiam, seu Ordines Religiosos, eorumque Prælatos posse etiam Constitutiones Ecclesiasticas facere, juxta modum in regulis earum, aut consuetudine, vel per privilegia præscriptum, quorum omnium ratio est, Jurisdictio ad gubernandum concessa, quæ sine legum ferendarum potestate subsistere non potest.

Leges verò politicas sive Civiles facere possunt, 1. Summus Pontifex in terris temporali suo Dominio subjectis; Imperator pro imperio, Reges alij aut Principes supremi, vel liberæ Respublicæ, pro suis provincijs; aliique secundum limites suæ, sibi, à jure, vel à supremo Principe concessæ, aut per præscriptionem, consuetudinem vel per reservationem obtentæ potestatis, prout ex varijs legibus habetur, & probat jus gubernandi, vario tamen modo juxta voluntatem conferentium tale jus, restrictum.

§. III.

Quousque se extendat legislativa potestas humana.

1. **N**on extendit se potestas legislativa humana ad ea immutanda, vel relaxanda &c. quæ sunt juris naturalis, Divini aut gentium præceptiva aut prohibitiva &c. (neque enim inferior potest legem superioris abrogare, aut dispensando eam relaxare) potest tamen legislativa humana potestas mutare, aut tollere, non tantum ea, quæ sunt juris positivi humani, juxta Statum sui conditionem, sed etiam ea, quæ sunt juris naturalis &c. permixti tantum, sicuti enim ars naturam, ita lex humana positiva per-

perficere nonnunquam potest jus naturale, suppleto v. g. quæ natura reliquit indefinita & indeterminata.

Potestatem tamen etiam legem naturalem interpretandi, seu declarandi in rebus Spiritualibus habet Magistratus Ecclesiasticus, & secularis in rebus politicis ac profanis: (neque enim qui declarat, immutat, aut de novo addit) ita tamē ut declaratio, seu interpretatio juris naturalis clara sit, si enim dubia sit declaratio talis à Laico Magistratu facta, ad iudicium Ecclesiæ spectat, declarare, quid tali in re sit faciendum, cum ad iudicium Ecclesiæ pertineat, declarare, an peccatum interveniat in tali declaratione.

2. Non potest vi legislativæ suæ potestatis humanæ per leges vel statuta, aliis sine justa causa auferre jus suum, iisque præjudicare, Magistratus seu Princeps etiam supremus *Argu. c. quæ in Ecclesiis 7. h. t.* quamvis enim Princeps talis jurisdictionem habeat in omnes suo imperio subiectos, non tamen habet dominium rerum privatarum ad subditos spectantium; ex iustâ tamen & urgente causa, ob publicam v. g. necessitatem, aut utilitatem, potest tale quid statuere (cum publicum bonum sit præstantius bono privato, & hoc meritò illi cedere debeat) quod tamē in dubio non censi debet fecisse (cū non facile utatur potestate extraordinariâ) & facilius præsumi potest derogare juri acquirendo, quàm acquisito, cum firmitus hoc sit, & certius.

§. VI.

Quomodo, & quando Leges sive Constitutiones humanae obligent?

Quod Leges sive Constitutiones humanae obligent in foro conscientiae, & sub peccato, patet ex *c. concupiscentia. 4. h. t.* ut enim iustis legibus obediant omnes subditi, non tantum Sacrae Literæ docent, ad *Roman. 13.* ubi dicitur: *Dei ordinationi resistere tales, & damnationem acquirere, sed lumine naturæ etiam notum est.*

Incipiunt autem obligare non prius, quàm sint publicè promulgatae *Can. in istis 3. §. leges distinct. 4.* ubique hoc enim, ut proponatur & denuntietur publicè Communitati, obligationem non possunt inducere Communitati.

Debent autem promulgari loco & tempore à legislatore præscriptis (si tamē locum & tempus promulgationi faciendæ determinavit Legislator) ita ut ab eo tempore, quod præscriptum est, Lex obligare incipiat, *c. cum singula 32. in fin. de præbend. in 6.* Sicut enim lex dependet à legislatoris voluntate, ita etiam ab ea dependet vis obligandi, vel si nec locus nec tempus promulgationis faciendæ, aut inchoandæ obligationis præscriptum sit, obligent leges Cæsareæ quidem, post duos menses elapsos, ab earum, in singulis provinciis facta promulgatione, *Authent. ut nova Constitutiones Novell. 66.* (Cum sufficere hoc tempus, & taliter facta promulgatio videatur, ut omnibus manifestè fiat nova Constitutio) Pontificiæ verò Constitutiones prohibitiæ aut præceptivæ, probabilis statim post earum promulgationem in Curia Romana factam, obligant (neque enim relata *Authent. ut nova Ec. in Jure Canonico* recepta est, ut praxis communissima Curiae Romanae docet, cau-